

juridicam, quia istam tantum exposcit illa lex. Confirmatur, quia illa protestatio quamvis relata ad voluntatem accusatoris videatur ficta, nihilominus in ordine ad intentionem legis est vera protestatio, quia lex nec reprobatur, nec approbat, seu exposcit illam rectam intentionem interiorem.

XXVIII. Dico tamen ad istam difficultatem, probabilius esse requiri illam rectam intentionem cum protestatione ad vitandam irregularitatem. Istam conclusionem tenent alii plures auctores, quos ibidem refert Suarez. Et ratio potissima est, quia nisi accusator habeat hanc rectam intentionem, absque dubio volens interius mortem delinquentis, habet vere et realiter, et per se influxum in illum mediantibus suis actionibus exterioribus; ergo vere incurrit irregularitatem homicidii voluntarii injusti, non quidem ex parte objecti, si quidem reus erat dignus pœna mortis, sed ex parte subjecti, cui prohibitum erat velle talem mortem, si accusator erat clericus, cui licitum non est velle causam sanguinis. Si autem accusator erat sæcularis, cui non prohibetur velle istam mortem, utpote justam, incurrit irregularitatem homicidii voluntarii justii. Confirmatur, et simul dissolvitur fundamentum oppositum, nam in illo casu quamvis in foro exteriori non sit condemnandus ut irregularis ille, qui accusatur cum protestatione sine recta intentione, quia servat exterius præceptum illius legis positæ in capite Prælati, nihilominus in foro interno animæ judicandus est irregularis. Unde fundamentum in oppositum solum probat de irregularitate considerata in foro judiciali exteriori.

XXIX. Ultima difficultas, an accusator injuste procedens, servans tamen omnia quæ in præfato capite

decernuntur, vitet irregularitatem, partem affirmativam tenent aliqui, quos ibidem refert Suarez, quorum fundamentum est, quia accusatori in illo capite confertur privilegium, quo immunis sit ab irregularitate, si servet omnia, quæ ibi decernuntur; sed ibi non decernitur accusationem debere esse justam; ergo.

XXX. Dico tamen ultimo: Accusator injuste procedens in ordine ad accusatum, quantumcumque faciat protestationem, et servet omnia alia decreta in illo capite morte tamen subsecuta, sive mutilatione, manet irregularis. Ista conclusio est communis doctrina. Et probatur; tum, quia privilegium ibi concessum accusatoribus nullo modo favet illorum iniquitati, sed non habent unde alias excusentur ab irregularitate, nisi per illud privilegium; ergo; tum; quia privilegium illud concedit accusatori facultatem contra malefactores accusandi illos, ut non habeant liberam potestatem trucidandi clericos, et ipsorum bona deprædandi; si enim clerici non possent accusare ex metu irregularitatis, non evaderent tot malefactorum damna. Ex qua ratione manifeste colligitur, quod intentio legislatoris sit tollere periculum irregularitatis, quando accusatores intendunt evitare ista damna, et non alias; tum denique, quia in illo capite conceditur hoc privilegium in ordine ad emendam, seu satisfactionem, et ad providendum ne in futurum talia fiant contra clericos; sed in ordine ad istum finem nullo modo potest intendere legislator liberare ab irregularitate accusatorem inique procedentem contra illum, cujus non est necessaria emenda, nec satisfactio, nec providentia illa in futurum; ergo, etc.

ARTICULUS V.

Utrum ferens testimonium in causa sanguinis justa subsecuto effectu fiat irregularis?

I. Pro hujus resolutione notandum est, quod testis potest ferre testimonium vel in causa criminali sanguinis, vel in causa civili. Et quidem in causa civili dupliciter. Uno modo, ita ut testificando de causa civili involvatur delictum criminale capitis, sine cujus delicti manifestatione non potest testificari de causa civili, et ideo testificatur etiam de illo delicto criminali: alio modo potest testificari de causa civili præcise, sed tamen iudex ex illo testimonio accipit judicia, et occasiones ad inquirendum etiam ab aliis testibus de causa criminali capitis propter quam tandem reus occiditur. Secundo notandum, quod testis potest ferre testimonium in causa sanguinis justa vel offerendo se libenter, quamvis nullo teneatur præcepto, aut obligatione ad testificandum; vel potest testificare, eo quia præcepto naturali tenetur ferre testimonium, et præsertim si interrogetur a iudice secundum jus, et mediante juramento, tertio autem modo potest testificare, non quia ultro se offert, nec quia tenetur jure naturali, sed quia cogitur per metum cadentem in virum constantem. Tertio notandum est, quod in his omnibus modis testis potest apponere protestationem, de qua diximus articulo præcedenti, vel potest non apponere aliquam protestationem.

II. Dico igitur primo: Si testis voluntarie et spontanee ferat testimonium in causa sanguinis, quantumcumque justa, subsecuto effectu manet irregularis, etiamsi faciat protestationem. Ista conclusio est

communis sententia tam theologorum, quam jurisperitorum, quos refert et sequitur Suarez in illa disputatione quadragesima septima, sectione tertia, et Stephanus de Avila parte septima, disputatione quinta, sectione secunda, dubio duodecimo. Et ratio hujus conclusionis est eadem, quam supra attulimus articulo primo ad probandum iudicem incurere irregularitatem propter latam sententiam mortis subsecutæ. Confirmatur, quia (ut diximus articulo præcedenti) ex benignitate juris solum provenit, ut protestatio impediatur effectum irregularitatis in accusatore in causa propria, et in aliena quando dumtaxat intervenit præceptum; sed testis agit causam alienam, nec intervenit præceptum testificandi (in hoc enim casu procedit ista conclusio) ergo quantumcumque adhibeat protestationem manet testis irregularis. Confirmatur denique, quia (ut videbimus in hoc articulo) privilegium illud immunitatis ab irregularitate concessum in capite Prælati cum illa protestatione nullatenus extenditur ad testes.

III. Dico secundo: Quando testis fert testimonium in causa civili manifestando tamen crimen capitale sanguinis effectu subsecuto, vel quando fert testimonium in causa sanguinis justa, sive teneatur ex præcepto, sive cogatur metu cadente in virum constantem, manet irregularis effectu sanguinis subsecuto, quamvis faciat protestationem. Ista conclusio est communior sententia quoad omnes suas partes, quamvis oppositum teneat doctor Avila ut probabile ubi supra in casu quo testis tenetur jure naturali ferre testimonium. Et fundamentum pro isto auctore potest esse, quia (ut diximus articulo præcedenti) accusator, imo alii sunt immunes ab irregularitate, quando in causa aliena

tenentur ex præcepto accusare, unde si id faciant facta protestatione, quamvis sint laici accusatores, extenditur ad illos privilegium concessum in capite Prælati et clericis quibuscumque; ergo illud privilegium extendi debet ad testem, quando ex præcepto naturali tenetur testificare. Confirmatur, nam si illud privilegium non extendatur ad testes erit inutile respectu accusatoris, si quidem inanis est accusatio, quæ testibus comprobari non potest. Si autem testis incurrit irregularitatem, non poterit accusator commode probare suam accusationem.

IV. Nihilominus probatur nostra conclusio quoad omnes suas partes, nam in casibus hujus conclusionis testis per se influit in mortem rei subsecutam; ergo incurrit irregularitatem homicidii voluntarii. Antecedens probatur, nam quando testificatur de causa civili revelando tamen crimen capitale sanguinis, et testificando de illo, per se istud testimonium influit in mortem rei subsecutam; et similiter quando ex præcepto naturali testificatur. Quando autem ex metu major videtur esse difficultas, quia testis videtur procedere involuntarie, sed tamen quamvis secundum quid sit involuntarius, nihilominus absolute, et simpliciter est voluntarius. Secundo, probatur conclusio ex differentia, quæ in hac parte per se versatur inter accusatorem, et testem, nam testis est proxima causa mortis, non autem accusator, quinimo testimonium testium est adæquata mensura secundum quam iudex profert sententiam mortis subsecutæ, unde testes se habent ex parte iudicis, ac subinde incurrunt irregularitatem sicut iudex. Accusatio autem nullo modo est regula ferendæ sententiæ mortis, sed habet se multum remote. Et ex hoc respondetur ad fundamentum contrarium positum in ista

conclusionem. Et ad confirmationem facile dicimus, quod quamvis testis incurrat irregularitatem, non redditur inutilis accusatio accusatoris, si quidem etiam iudex proferendo sententiam incurrit irregularitatem sicut testis testificando.

V. Dico tertio: Si testis ferat testimonium in causa pure civili, quamvis inde iudex sumat indicia ad inquirendum de causa criminali, qua comprobata per alios testes, sequitur mors delinquentis, nihilominus ille testis non incurrit irregularitatem aliquam, etiamsi nullam faciat protestationem. Ista conclusio est communis sententia, et probatur facile, quia illa mors sequitur omnino per accidens ad testimonium testificantis præcise de causa civili, qui insuper dat operam rei licitæ: ergo nullatenus imputatur illi mors ad incurrendam aliquam irregularitatem.

VI. Arguitur contra naturæ resolutionem: Quia ut habetur in libro v decretorum, titulo xii, capite xix, paragrapho ultimo, quando aliquis præbet signa manifesta, ut illis comprehendatur fur, qui postea damnatus fuit ad mortem, consultus pontifex decrevit immunem fuisse ab irregularitate, qui talia prodidit signa, qui utique erat Scholaris; ergo a fortiori qui reddit testimonium in causa sanguinis justa non fit irregularis. Probatur consequentia, nam majus est præbere signa, quibus evidentius comprehenditur fur et occiditur, quam ferre testimonium de furto. Confirmatur, quia ut habetur in eodem libro, titulo xviii, capite iv: « Qui furti conscius est, et non revelat possessori quærenti furem, occidit animam suam, quia fit particeps delicti furis. » Ergo secundum illud capite non solum potest sine irregularitate, sed potius tenetur detegere furem; sed nihil aliud facit testis;

ergo non incurrit irregularitatem.

VII. Respondetur, quod in capite ibi citato excusatur ab irregularitate ille, qui prodidit signa quibus comprehenderetur fur, ex eo quia existimavit non esse occidendum furem, sed solum auferendum ab eo quædam et ipse quidem puniendus, non tamen causa sanguinis: si enim manifestaret furem, quem prudenter existimaret occidendum, aut mutilandum, maneret irregularis, qui prodidit illum, de quo legatur Stephanus de Avila part. vii, disput. v, sect. ii, dubio xv. Ad confirmationem respondetur, in illo capite solum decerni fieri participem delicti furti illum, qui non manifestat latronem, dum tenetur manifestare, ac subinde teneri ad restitutionem tamquam non manifestans. Ex hoc autem nullatenus colligere licet non fieri irregularem, qui manifestat latronem occidendum, quia quantumcumque juste manifestet, fiet irregularis ex homicidio voluntario justo, cum sit per se causa illius.

ARTICULUS VI.

Utrum quomodolibet concurrentes ad mortem, seu mutilationem fiant irregulares?

I. Dico primo: Tabelliones, et procuratores, et sollicitatores, et alii æquales, aut inferiores ministri justitiæ incurrunt irregularitatem morte, sive mutilatione delinquentis subsecuta. Probatur ex illo capite Aliquantos sæpe citato, dist. ii, ubi universaliter ponitur irregularitas pro omnibus hujusmodi curialibus. Interpretes autem illius capituli intelligunt per curiales hujusmodi ministros justitiæ; ergo.

II. Dico secundo: Isti ministri justitiæ, quamdiu in hujusmodi causis

curialibus exercentur, sunt irregulares, etiam morte, aut mutilatione non subsecuta; si tamen hoc exercitium ex animo vere deserant, desinunt esse irregulares, et possunt ad sacros ordines promoveri, dummodo versati non fuerint in causa mortis, aut mutilationis de facto subsecutæ aut postea infallibiliter subsequendæ. Ista conclusio est communis doctrina, et probatur ex eodem capite Aliquantos, et aliis, in quibus decernitur hos curiales non posse ad sacros ordines promoveri, dum in hujusmodi negotiis versantur, bene tamen illis derelictis, si tamen mors, aut mutilatio non subsequatur.

III. Dico tertio: Custodes carceris, in quo detinentur delinquentes, qui puniuntur morte, aut mutilatione incurrunt irregularitatem, sive sint ministri, et custodes immediati, sive superiores et gubernatores carceris, et maxime illi, qui detinent delinquentes, qui propter durum, et asperum carcerem moriuntur ibi. Ista conclusio etiam est communis doctrina, et probatur, quia omnes isti custodes influunt per se in mortem, aut mutilationem, et quamvis non efficienter physice, concurrunt tamen moraliter, saltem in genere causæ dispositivæ, et quasi materialis, et hoc sufficit ad incurrendam irregularitatem. Et quidem de immediatis custodibus carceris loquendo, nullam habet conclusio difficultatem, quamvis aliquam videatur habere, si fiat sermo de superioribus custodibus carceris: eo quia isti sæpe ignorant quinam delinquentes ibi detineantur, aut propter quæ crimina sint ibi. Nihilominus, quia ex jussu, et gubernatione horum superiorum, alii ministri inferiores exercent suas operationes custodiae erga delinquentes, ideo eadem est ratio de omnibus custodibus carceris, quia non ponit in

numero, sed est eadem actio ministri, et superioris agentis.

IV. Dico quarto: Medici, et chirurgi non incurrunt irregularitatem etiamsi mors, aut mutilatio infirmi subsequatur, dum tamen adsint duæ conditiones, quarum prima est illos esse peritos in sua arte, et secunda est adhibere sufficientem diligentiam. Si tamen istarum aliqua conditio defuerit fiunt irregulares. Istam conclusionem tenent omnes theologi, et jurisperiti in illo capite Tua nos sæpe citato. Et ratio est manifesta, quia servatis illis conditionibus mors, aut mutilatio sequitur omnino per accidens, et ex altera parte dant operam rei licitæ: ergo non incurrunt irregularitatem: secus tamen est deficiente aliqua conditione. Ista conclusio intelligitur de medicis, et chirurgis sæcularibus, nam clericis, et monachis non est licitum hoc munus exercere, nisi habita dispensatione. Ita colligitur ex illo capite Tua nos.

V. Dico quinto: Alii ferentes exercitium pietatis erga infirmos, si adhibeant sufficientem diligentiam, ne sequatur, aut acceleretur mors, nullam incurrunt irregularitatem, quamvis de facto ex eorum cura, et actione sequatur mors: secus tamen si non adhibeant sufficientem diligentiam, et sequatur, aut acceleretur mors ex eorum actione et cura, sive incuria, incurrunt irregularitatem. Ista conclusio probatur eadem ratione qua præcedens.

VI. Sed circa hæc dicta in isto dubio et alia, quæ supererant dicenda sufficiat regula generalis observanda, quæ est hujusmodi: Quando actio proxime, et per se influat in mortem, sive mutilationem inducit irregularitatem: non tamen si concurrat remote, et per accidens. Et quidem non est censenda causa remota illa, quæ mediatis aliis proximis causis concurrat ad mor-

tem, seu mutilationem, nam judex tamquam causa universalis superior concurrat mediatis aliis proximis causis ad mortem, et tamen manet irregularis: actio igitur illa debet censi remota, cujus effectus omnino terminatur ad alium finem, qui non est mors, aut mutilatio, nec sequitur per se mors, aut mutilatio ex illo fine, ut constat in iudice ecclesiastico dimittente a sua jurisdictione reum, et remittente illum jurisdictioni sæculari. Ex quo fit ut tortores delinquentium, quando in ipsa tortura non moriuntur, nec mutilantur, nec sequitur per se mors, aut mutilatio ex ipsa afflictione torturæ, non manent tortores irregulares; cum tamen maneat irregularis quicumque proferat sententiam mortis. Illi tamen, qui adstant hujusmodi sententiæ non manent irregulares, quia ibi conveniunt per accidens.

VII. Ex dictis sequitur, quod si judex consulat clericum de crimine alicujus malefactoris digno morte, aut mutilatione, poterit clericus sine metu irregularitatis contrahendæ respondere in communi, dicendo tale delictum secundum jus esse plectendum morte, aut mutilatione. Si tamen clericus consulatur in particulari casu, verbi gratia, Petri malefactoris, si ex responsione clerici quasi advocati vices gerentis sequenda foret mors, aut mutilatio manebit irregularis; si tamen absque responsione clerici infligenda erat infallibiliter mors, aut mutilatio, tunc quamvis dicat iudici Petrum esse dignum morte, aut mutilatione, non manet clericus irregularis. Ista doctrina est communis auctorum, et illos refert Stephanus de Avila part. vii, disp. v, dict. ii, dub. vi. Ex dictis etiam colligitur, quod debeat facere confessarius, cui constat, quod pœnitens, verbi gratia judex, cujus confessionem audit,

non vult interficere malefactorem dignum morte secundum jus, tunc enim confessarius licite poterit absque incursione irregularitatis, imo debet dicere iudici: Nolo te absolvere, nisi firmiter proponas punire universos malefactores secundum jus, quamvis confessarius sciat securam esse ex hoc infallibiliter mortem Petri in particulari. Hoc probatur ex illa regula supra posita; unde a fortiori sunt in minori periculo irregularitatis prædicatores, qui sæpe persuadent iudicibus, ut puniant malefactores, et reprehendunt iudices acerrime, nisi id faciant.

ARTICULUS VII.

Utrum laici militantes in bello justo, morte, aut mutilatione subsecuta manean irregulares?

I. In hoc dubio solum inquirimus de laicis, nam de clericis dicemus in subsequenti, et solum agimus in præsentibus de bello justo, quia de injusto dicemus articulo ultimo. In præsentibus igitur duo supponenda sunt tamquam certa, et alia duo sunt, quæ habent difficultatem. Primo quidem certissimum est, quod quando quis in bello defensivo iusto suam etiam propriam vitam defendit, et non solum commune bonum reipublicæ, tunc etiam si per seipsum mutilet, aut occidat, non incurrit irregularitatem, quia expresse excipitur ab illa occidens in defensionem propriæ vitæ in illa clementina Si furiosus, de qua egimus art. i et ii hujus disputationis.

II. Secundo est certum, quod quicumque libere mutilans in quocumque bello, sive defensivo, sive aggressivo, et mutilat, aut occidit per

seipsum, manet irregularis, et dixi si libere mutilat, id est, quando nullum extat præceptum mutilandi. Duo igitur sunt, quæ difficultatem habent. Primum est, an quando quis ex præcepto tenetur debellare, sive in bello defensivo, sive aggressivo propter solum bonum commune sui principis, aut reipublicæ, sive propter defendendam vitam innocentium maneat irregularis, si mutilet vel occidat per seipsum. Circa quam difficultatem aliqui Thomistæ (ut retulimus articulo secundo) tenent partem affirmativam ducti rationibus a nobis ibi propositis, et potissime, quia in illa clementina Si furiosus, solum excusatur ab irregularitate furiosus, aut dormiens occidens, aut mutilans in defensionem propriæ vitæ.

III. Dico tamen probabilius esse, quod militantes in isto casu non incurrunt irregularitatem. Ita tenent plures auctores, quos refert, et sequitur Suarez disput. XLVII, sectione vi, et Stephanus de Avila, ut diximus in illo articulo secundo, ubi ostendimus auctorem istum in hac parte non procedere consequenter. Et fundamentalis ratio hujus conclusionis est, quia, ut ibidem ostendimus, ex sententia jurisperitorum, et theologorum, illa clementina Si furiosus optimis rationibus extenditur ad eximendum ab irregularitate eos, qui occidunt sive mutilant in defensionem vitæ proximi, et bonorum temporalium reipublicæ, quæ sunt maximi momenti.

IV. Secunda difficultas est, an quando qui militat in bello justo, sive defensivo, sive aggressivo, et sequuntur mortes aut mutilationes inimicorum, non tamen per seipsum factæ, sed per alios milites, an tunc incurrat irregularitatem; in qua difficultate communis sententia est inter doctores non incurrere irregularitatem milites, qui ex præ-